



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Pacis Westphalicæ Publica

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten ist, was vom Monath Junio des Jahrs 1648. biß zu dem, im Jahr 1649. völlig erfolgten Schluß und Ende des Universal-Friedens-Congressus zu Oßnabrück und Münster, gehandelt und geschlossen worden

Meiern, Johann Gottfried von

Hannover, 1736

VD18 90103165

§. XIV. Refutation des Frantzösischen Postulati, den Burgundischen Crayß von dem allgemeinen Reichs-Frieden zu excludiren.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53029](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53029)

1648.
Junius.

Ad 12) *Loca ipsa cum Archivis &c.* Donationes officialibus factas juxta Projectum Gallicum & Suecicum jam esse cassatas & quod pro impensis meliorationis nihil refundendum, cum eo contra pro fructibus perceptis nihil imputandum esse constat, und wird abermahls allein in hoc Articulo nova ruina Imperii angedrohet, wie deren Präjudicia bereits in den Stifftern Straßburg, Osnabrück, Münster, Minden, und auf deren Ritterlichen Ordens-Güthern, und anderer mehr gäng unschuldigen Ständen vorhanden seyn. Derowegen wird solcher simpliciter widersprochen; Man kan aber wohl abnehmen, daß dieser Articulus gesetzt worden, die Schwedischen Donatarios gegenwärtige und die sie noch machen werden, ad continuandum bellum zu animiren und zu stärken, immassen die ganze materia Quædam dahin angesehen ist.

Ad 13) *Restituta loca &c.* Sey periculum in generalitate, ob auch ein Stand seine eigene Orte nicht præsidiren dürffte, als wäre zuzusehen, von frembden und nicht den Herren zustehenden Præsidii.

Ad 14) *Militie campestri &c.* Cum ut antea dictum, impossibile sit, Satisfactionem conventam præstare, vel pecunias ad hoc colligere, & usque restitutionem Statuum & solutionem Satisfactionis Militem sustentare: ideo hic de remedio prospiciendum, ut scilicet miles aliqua portione accepta discedat, aut si diutius sub ditione Domini Territorii manere velit, sustentatio ejusdem defalcetur.

Ad 15) *Si qui tamen &c.* wiederholt man die in Münster hiebedor überschickten Meynungen, darinn einem Theil wie dem andern geschehe.

Ad 16) *Tam exauctoratio &c.* adjungantur generales utriusque partes, und erfordert der Herren Kayserlichen Consens, sowohl in diesem als allen andern.

Ad Lit. D.

Berufft man sich auf allhie zu Münster am heutigen Vormittag ausgefallenes einmüthiges Conclusum.

Oesterreichisches Directorium.

§. XIV.

Refutation
des François-
schen Postu-
lati, wegen
Ausschließ-
ung des
Burgundi-
schen Crayßes
vom Frieden.

Wie heftig die Crone Frankreich sich entgegen gelegt habe, den Burgundischen Crayß in den allgemeinen Reichs-Frieden mit einzuschließen, das ist unter andern aus der, im Ein- und Vierzigsten Buch, §. XXXI. vorgekommenen ausführlichen Repræsentation haupt-

sächlich zu vernehmen gewesen. Es sind aber dagegen alsofort die sub N. I. & II. anliegende Schrifften, in öffentlichen Druck erschienen, und die Unbilde des Françoisischen Postulati darinnen gezeiget worden.

N. I

Petitionis Gallicæ, de Circulo Burgundico à Pace Imperii excludendo, deque ope ex Imperio ei non ferenda, refutatio.

Quod de Circulo Burgundico, à Pace Imperii excludendo, jam pridem in Replicis, & quidem sub captiosæ interrogationis involucris, insinuarunt Galli, id nunc palam aperteque proponunt; addita petitione, de supplicis ab Imperatore ac Imperii Principibus Regi Catholico, ratione ejusdem Circuli impostorum non permittendis.

Pro-

1648.
Junius.

Prodiit nuperrime Libellus, Teutonice Lingua, Authoris Anonymi, Gallorum tamen nomine, in Conventu *Osnabrugensi* dispersus, in quo adversus Ducem Lotharingiæ multa, de Circulo Burgundico à communi Pace excludendo, deque Cæsaris pro Rege Catholico auxiliis, pauca admodum differuntur.

1648.
Junius.

Quæ per cuniculos tentata fuerat aggressio, apertis exinde machinis est continuata. Kalendis Juliis proximè elapsis, missa est Directorio Imperii, à Legato Gallico, formula Articuli, quem Instrumento Pacis inferi contendit, cujus tenor est hujuscemodi.

Conventum est, ut non liceat impostero Imperatori, aut aliis Imperii aut Domus Austriacæ Principibus, qui in præsentis Pacificatione includentur, quovis titulo, nomine, colore, aut pretextu, neque etiam ratione Circuli Burgundici, aut Transactionis Augustæ Vindelicorum Anno 1548. vel alterius Transactionis Norimbergæ Anno 1542. initæ, Regem Catholicum, Ducem Carolum à Lotharingia, reliquasque Domus Lotharingiæ Principes, aut alios quoscunque Regis Christianissimi hostes, milite, armis, pecunia, commeatu, aliave ope adversus dictum Regem Christianissimum juvare, nec ullis copiis, quæ ipsius Majestati bellum inferre, aut aliquid hostile in ejus Ditiones hereditarias, vel acquisite moliri vellent aut possent, statim, receptum, aut transsum per fines Imperii concedere.

Ducis Lotharingiæ causa, jam sapius, & novissime Responso peculiari, adversus Authoris Anonymi, quod dixi, scriptum, abunde est defensa. Cunctis sat constat, Principem hunc, veterem Imperii clientem, fœderatum, socium, consanguineum & amicum, præclaris in Republicam officiis commendatissimum, communis salutis causa armatum, non nisi per summam injuriam, à Pacis Germanicæ communione posse separari.

Circuli vero Burgundici jura quod attinet, quamquam manifesta ea sint, paucis tamen comprobandum videtur, petitionem hanc Gallorum, adversari Statui Imperii, Legibus ejus fundamentalibus, Pactis publicis, æquitati, bono publico, securitati, commodis, honestati, & Majestati Imperii. Præterea, ipsis bellorum causis, Contestationibus publicis, Pactionibus præliminaribus, Postulatis Gallorum, atque Instrumento Pacis ab illis edito: horum confessuum placitis, postremo, ipsimet Paci, quæ tot tamque ardentibus votis expetitur.

Circulus Burgundicus, jam à temporibus Divi Maximiliani Primi, Cæsaris, ceteris adscriptus, portionem non minimam Sacrosancti hujus Imperii constituit. Complectitur populos omnes Germaniæ Inferioris, Domui Burgundicæ parentes, veram & Germanam Germaniæ gentem. Circulum hunc è medio tollere, est ædificii hujus pulcherrimi vincula subtrahere; structuram, decem Circulis compactam, convellere, Corporis molem, quæ per tam longam sæculorum seriem stetit illibata, detruncare. Paucis, est Imperii Romano-Germanici Statum, heu nimium conturbatum, funditus evertere.

Legibus Imperii fundamentalibus, Circuli omnes, nexu indissolubili colligati, sibi invicem adesse & opitulari, non modo non possunt, sed debent. Communia omnibus sunt Pacis & Belli jura, omnibus una salus, sic & commune periculum. Id volunt, tot, totiesque repetitæ, Pacis publicæ sanctiones. Id Executionis Ordinationes. Id Comitiorum pene omnium Decreta & Receptus.

Inter hæc Pacis publicæ Leges, una est eaque vetustissima, quæ Anno

Sechster Theil.

§

nona.

1648. nonagesimo quinto, supra millesimum quadringentesimum, in Comitibus
 Junius, VVormatiensibus est sancita. Illam Maximilianus Cæsar, tam suo Domus-
 que Austriacæ, quam Archi Ducis Philippi filii sui, & Provinciarum Bur-
 gundicarum nomine ex una; ac universi Imperii Electores, Principes, atque
 Ordines, ex altera partibus, perpetuam omnique tempore duraturam, data
 acceptaque fide, sunt stipulati.

1648.
 Junius.

Leges hæc, pro Pacis, de qua modo agitur, executione sequendas esse,
 & tanquam pro norma habendas, volunt Instrumenta Pacis, utrimque exhi-
 bita. Has tamen ipsas, Pace necdum constituta, Galli conantur infringere,
 Pacemque Imperii publicam sub specie Pacis violare.

Sed non Legibus modo & Constitutionibus, verum & Pactis publicis, id
 quod diximus, jam dudum est constitutum. Celebris est Transactio, quæ Bur-
 gundica dicitur, jam à seculo in Comitibus Augustanis, quæ ob Procerum fre-
 quentiam Magna indignantur, solemniter inita. Comitiorum Reecessu, §.
 Nachdem dann ic. atque etiam postmodum, speciali Decreto anno sexagesi-
 mo sequenti, roborata.

Transactioe hac, Circuli Burgundici ratio est stabilita. Restitutus ille
 aut in suis corpori Imperii. Nominatæ Provincie sub ejus amplitudine
 comprehensæ, salvæ tamen illarum juribus & exemptionibus. Cautum de
 convocatione ad Conventus, de Sessione & Voto. Constituta quota pensita-
 tionibus. Promissa fides & clientela erga Imperium. Et vice versa, quod
 hac in re præcipuum, ab Imperio, Protectio, Patrocinium, Tutamentum.

Pacta hæc Conventa sunt univerforum Electorum, Principum, atque
 Ordinum Imperii communi assensu. Signatæ tabulæ & sigillis consuetis mu-
 nita. Addita promissio, qua majus vinculum dari non potest, de illorum ob-
 servantia, *sub fide Principum.*

Hic liceat Deum atque homines obtestari. Hic fidem publicam implo-
 rare, Fœderum sanctitatem, Promissorum, quæ vetus Germanorum gloria,
 constantiam. Liceat in Pacis hoc Congressu, in Christiani Orbis Theatro,
 usurpare voces illas, quibus majorum nostrorum Legati, in Theatro Pompeji
 aliquando exclamasse perhibentur, *Nullus mortalium fide ante Germanos esse.*

At objicitur, Transactioe hanc non esse observatam. Qua vero in
 re, quibusve capitibus, non dicitur. Præstiterunt hætenus Domus Burgun-
 dicæ Principes, omnia & singula, ad quæ memorata Transactioe sunt ob-
 stricti. Ad Conventus publicos convocati, per Legatos suos adfuerunt, pro-
 ut etiam nunc adsunt. Idem factum in Conventibus Deputatorum Imperii,
 inter quos & ipsi jure speciali, etiam post dictam Transactioe sunt adscri-
 pti. Nominarunt Assessores Camerae, eidem stipendia annua pro quota par-
 te pependerunt. Ad summam, fideles devotosque S. R. Imperii Principes
 continuo constanterque sese exhibuerunt.

Objicitur deinde, Imperium negotiis Belgicis nunquam se immiscuisse.
 Negatur id ea thesi, qua ponitur. Aliud quoque publicæ Imperii Acta testan-
 tur. Turbis Belgicis nascentibus in Comitibus publicis auditæ aliquando tu-
 multuantium querelæ. Illis crescentibus, decretæ non semel pro Pacifica-
 tione Legationes.

Quod si turbis istis durantibus, Regi Catholico non adstiterit Imperium.
 Si Batavi non denunciati Imperii hostes; id certis de causis factum, quas hic
 memorare, non est hujus temporis nec loci. Solum id sufficit, inferri ex eo
 non

1648.
Junius.

non posse memoratæ Transactionis, quæ de casu illo non loquitur, inobservantiam. Multo minus inferri argumentum. Circulo Burgundico intestinis bellis implicito, à neutris partibus stetit Imperium. Ergo Circulus Burgundicus ab Imperio separandus, aut in communi Pacificatione deferendus. Ergo, novo omnino exemplo, pactione expressa cavendum, quod nec Imperator neque Imperii Principes, adversus hostis externi injurias, Circulo huic, possint opitulari.

1648.
Junius.

Qua tempestate inter Reges bella flagrârunt, dum annis superioribus Belgium Burgundiaque à Gallis impetita, nihil ejus rei, quæ nunc petitur, postulatum est, ac ne quidem cogitarum. Adducta non semel in Belgium Germanorum auxilia, data in terris Imperii stativa, diribitoria, transitus: quæ nec Gallis quidem denegata.

Objicitur ulterius, Circulum Burgundicum multis ab annis non contribuisse, eo expuncto nihil Imperio decessurum. Non contribuisse Circulum Burgundicum dici non potest, qui nostra patrumque memoria, tantum auri virorumque vim, tot æris, tot sanguinis, pro Imperio effudit. Memorari hic possent, Legiones, copiæ, exercitus integri in Germaniam adducti. Belgicæ & Burgundicæ Nobilitatis slos amissus. Duces fortissimi desiderati.

Transactione, quem diximus, duplex contributionis modus est constitutus. Unus communis & ordinarius, pro solitis Imperii oneribus. Alter extraordinarius, in expeditione generali adversus Turcam. Priore, Circuli Burgundici quota ad duplum Electoralis, posteriore ad triplum est constituta. Huic in numerato semper fuit satisfactum; illi partim in armis, partim in pecunia, cujus si calculus ineundus, longe plus debito solutum esse reperitur.

Et sane justissima fuit causa, cur in contributionibus ordinariis quoræ Burgundicæ solutio arario inferenda, durantibus Belgii motibus tacita quadam compensatione, aut extincta aut suspensa foret. Reciproca est Imperii & Circuli obligatio. Hic fidem & clientalem debet; sed illud Protectionem & patrocinium. Quamdiu hæc præstita non fuerunt, nec contributio fuit præstanda. Iniquum fuisset opem a membris exigere, dum corpus membris non opitularetur. Nunc vero Dei Optimi Maximi beneficio Circulo Burgundico à bellis internis pacato, dato reliquis Imperii Orbisque Christiani partibus, Pacis incitamento, sperandum erit objicem, qui contributionibus remoram dedit, amovendum, & quicquid impedimento hætenus fuit, imposterum iri sublatum.

Verum enim vero, etsi nulla legum, nulla pactionum, nulla fidei publicæ intercederet obligatio, ipsa æquitatis ratio postulat, Belli socios esse Pacis consortes. Eadem omnibus bona malaque esse, utque rerum adversarum, sic & secundarum communes ex æquo rationes. Id ratio ipsa dicit. Id omnium temporum atque nationum exempla. Id Regnorum hostilium Fœdera ac studia, quibus hætenus incubuerunt.

Scimus omnes, Circulum Burgundicum una cum Imperio, imo verius diu post, & solius Imperii intuitu, à Gallis fuisse impetum. Jam dudum Gallica arma per Germaniam Superiorem erant illata, cum communem belli casum in se traxit, bellorum causis vel obtentibus in Circulum hunc derivatis. Ab illo tempore, ad hunc diem, anni sunt amplius tredecim, patrio in solo, tanquam Martis alea, præcipuam Gallorum vim fortissime sustinuit. Illum vero nunc deferere, & qui bello stetit invictus, Pace devincendum dedere, uti nihil turpius, ita nec iniquius.

Sechster Theil.

§ 2

Ve-

1648.
Junius.

Verum quamvis nulla alia foret, sola boni publici ratio exposcit, Circulum hunc, quem Imperii antemurale recte dixeris, à reliquo corpore non distrahi. Sic à natura comparatum, ut in vasto hoc Imperio, essent populi in confinio positi, qui pro omnium tutela excubarent; qui salutem communem periculo suo defenderent, quorum virtute, Gallica potentia vicinis semper formidolosa, reprimeretur. Qui viris, locis, fluminibus muniti, veteri quoque odio animati, gentem inquietam & bellicosam, suos intra fines continerent.

1648.
Majus.

Et profecto, si Germaniæ Patriæ nostræ charissimæ Statum ob oculos ponimus; non eum modo, qui in præsens est, sed & Pace eveniente constituendum, videre erit faciem Reipublicæ tristem & miserabilem. Episcopatus, Provincias, Ditiones Imperii amplissimas, abscissas. Illarum accessione, Regnum Galliæ ad orientem paulo minus adauctum. Rhenum, qui quondam in meditullio Germaniæ, nunc vix limitem haberi. Ad utramque ripam hostibus concedi arces, præsidia, transitus. Illud vero miserabilius, illos hisce concessionibus ne quidem esse contentos. Petere Circulos integros, Præsidia Imperii, munimenta fortissima, è medio tolli. Quibus subtrahitis, quid tutandis Imperii finibus supererit? Quis Principum Germaniæ, qui ad Meridiem sunt, nisi precariam vitam ac libertatem agere velit, domi tutus commorabitur? Quæ Civitas, quâ parte Gallia adjacet, liberæ nomen, quo nihil carius, poterit conservare?

Jam si commoda spectamus, quid publicè aut privatim, antiqua inter Germaniam utramque conjunctione, amicitia, necessitudine, potest esse utilius. Quid pulchrius, quam populos conterminos, ejusdem nominis, sanguinis, & linguæ, paribus moribus & institutis viventes, Legum Pacis publicæ beneficio invicem agere, versari, usumque commerciorum exercere.

Si utili honestum adjungendum. Quid magis infame, quid magis ignominiosum, quam ditionem non unam, sed complures, Circulum integrum, Provinciarum Orbem, pro hostis libidine, exemplo fedissimo, ab Imperii corpore avelli. Absit, ut nomini Germanico hoc probris imputetur. Absit, ut ad posteros nota hæc transeat, fuisse hæc tempestate Germanos, fidei olim tenacissimos, qui fidos clientes, veteres amicos, socios, & fratres; qui concives suos & populares; qui Germanos ipsos, in ipsa Pace, per summum dedecus, abdicarent.

Belli, quo premimur, causas hæcce unicas vel præcipuas sumpsit Gallia, Libertatem Germanicam, & Imperii restorationem. Hæcce munimentis publicis editis, has in Fœdere Suecico expressit. En illa, illa, cujus specie pugnatum est, Germaniæ libertas; cujus pars maxima, Fœderum sancientium & socios adjuvandi facultas. En Imperii restauratio, Circuli pulcherrimi & fortissimi ab Imperio avulsi.

Multoties deinde & solenniter, cum publice tum privatim contestata est Gallia, ob copias pro libertate Germanica Imperio illatas, nullam se unquam retributionem petituram, propriis sumptibus sine cujuscumque onere se eas sustentaturam, Paceque composita, è finibus Imperii educaturam. Num verò facta dictis exequenda sint, nunc videmus, dum omnia dissimulatione, obtemperata satisfactione amplissima, pars nobilissima Imperii abstrahi postulatur.

Pactionum Præliminarium cautio præcipua hæc fuit, ut omnes & singuli Sacri Romani Imperii Principes ac Ordines fide publica tuti, colloquio, uti de Pace, interessent. Sic à Cæsare conscripti, ab ipsismet Regnis sunt rogati. Hoc sine, tam longæ tractationi frequentes adstiterunt, de communibus privatisque negotiis consultarunt. Finis primordio longe dispar. Qui

cun-

1648.
Junius.

cunctos Imperii Status, imo & Mediatos, Pacis colloquio adesse voluerunt. Nunc summæ notæ Principem, sanguine Teutonico, ipsisque Caesaribus ortum, antiquissima Fœderis societate, & cum Germanis Principibus renovatæ sapius cognationis, neque intermissæ unquam amicitiae necessitudine, conjunctissimum, de hoc Sacro sancto Imperio optime meritum, in ipsa Pacis conclusione, volunt iri exclusum.

1648.
Junius.

Postulatis die S.S. Trinitatis jam à triennio editis, id præcipue petierunt Galli, Pacem fieri Christianam, Universalem & perpetuam, cum Imperatore & Domo Austriaca: omnesque & singulos eorum Fœderatos & Adhærentes, insuper omnes & singulos Imperii Principes & Status, pristinis juribus, prærogativis, libertatibus, & Privilegiis, restituti & conservari.

Instrumento vero Anno superiore exhibito, ultra hæc additum, de Circulis redintegrandis; Matricula renovanda; Juribus Principum restaurandis, cum primis vero faciendi inter se, & cum exteris Fœdera; Pacis quoque publicæ constitutionibus observandis.

At quomodo Circulos redintegrari, Matriculam renovari proponunt, qui Circulum unum cupiunt expunctum? Quomodo Statibus Imperii jus faciendi Fœdera, cum quibuscunque sive indigenis, sive exteris liberum esse, qui Circulo fidissimo suppetias, pacto publico denegari student? Quomodo Imperatori & Principibus Domus Austriacæ denegatum volunt, quod omnibus & singulis Imperii Statibus, maximis, medioximis, infimis, citra controversiam permissum? Quomodo constitutiones Pacis publicæ observari, qui neque census, neque receptus, neque transitus per terras Imperii, pro Circuli hujus securitate, contra Pacis publicæ leges, volunt permissos?

Si vero postulata ab Hispanis facta, cum hisce de quibus sermo, comparamus, qua fronte petere Galli audent, Circulo Burgundico Imperii membro, ab ejusdem corporis membris, auxilia non portari, qui in Legibus Pacis Hispanicæ illud præcipue & pervicaciter obtentum voluerunt, ut integrum illis foret Fœderatis & amicis omnibus, etiam perduellibus, & nominatim Regni Lusitanæ invasori, seu clam seu palam, sive directe sive indirecte, opitulari.

Placitis Cœtus hujus celeberrimi, post maturam rei deliberationem, jam pridem atque iterato visum fuit, & communi Senatus Imperii suffragio conclusum, 26. April 1646. & 25. Septemb. 1647. Regem Catholicum ratione Domus Burgundicæ, spectabilem Imperii Statum, ac ratione Ducatus Mediolanensis, ejusdem beneficiarium, in hac qualitate à Pace nullo pacto esse excludendum. Quæ decreta revocare, neque justum, neque decorum.

- - - - Rescindere Divis,
Non liceat acta Deum.

Ad extremum, Tractatum Pacis quibus insudamus, hic scopus est præcipuus, ut beneficio communis Amnestiæ, internis diffidiis compositis, dataque Regnis hostilibus satisfactio, Imperii harmonia, facta tecta possit conservari, seræque posteritati transmitti. Cum scopo hoc è diametro pugnat, id quod proponitur, quod Imperii harmoniam funditus evertit, corpus jam satis truncatum, dilacerat, bellum, quod componendum, resuscitat, ab Imperio in Imperium arma convertit. Breviter, Pacem ipsam sub Pacis imagine disturbat.

Si enim Legum, Fœderum, securitatis, boni publici, aliisque quas memo-

1648. moravimus causis, pro hostis voluntate, procul habitis, Regi Catholico, quæ 1648.
Junius postulatur, (quod absit) fiat injuria, quid aliud expectandum, quam justissi- Junius
ma fidei violatæ vindicta, arma in scedifragos universo Orbi comprobanda, &
ex bello hoc miserabili aliud bellum miserabilius?

Quamobrem, sibi majoribusque dignum, posteritati laudandum, legibus quibus constat Imperium, fidei constantiæque Germanicæ, publico bono, securitati Patriæ, magnitudini Imperii, saluti Reipublicæ in extremo sita, denique Paci ipsi, quæ Justitiæ soror, consentaneum præbebit exemplum, inclutus Pacis Conventus, si Petitioni, de qua agimus, non modo non annuat, sed ex adverso, solenni Senatus-Consulto, eandem, prout speratur, decreverit eliminandam.

N. II.

Fidelis Germani, in Conventu Monasteriensi ablegati, ad Conventus Osnabrugensis Deputatos, supra Coronæ Gallicæ Petitionibus, Consultatio Juridico-Politica.

LECTORI BENEVOLO !

Fervido calamo oportuit me collegas nostros Osnabrugenses sui Officii commonefacere, ut eorum in rebus agendis festinationi responderem, quod tanto facilius me assequuturum existimavi, quod vera, non dictu speciosa scribere proposuissem, Assentatoris partes, quantum potui detrectans, ut periculis, quibus premimur, infestissimas, & quanta potui celeritate occurrens Gallorum technis & insidiis, cum viderem celerrimo illarum cursu & impetu, nonnullos, tanquam insolito turbine in transversum rapi. Ideo Benevole Lector, si majorem stili puritatem desideres, eam intentionis nostræ desiderabiliori puritate, ut compensatam habere velis, instanter rogo.

Multoties Galli curarunt sollicitari Hispanos, ut suos cum illis Tractatus absque Imperio & disjunctim inirent, quod semper recusarunt, malueruntque durioribus conditionibus pacisci, quam vel tantillum ab Imperio separari; satis callentes hujusmodi divisionem, quamvis tantum foret sex mensium, in utriusque exterminium vergere, & præterea illius admissionem quocunque prætextu, fidei, amicitia, confederationi, famæ, & honori esse contrariam.

Prodigiosum est audere Gallos quidpiam simile ab Imperio contra Hispanum petere, eodem tempore quo ipsi rebellibus Lusitanis opem ferre non modo prohiberi nolunt, sed hanc sibi licentiam expresse reservari, imo & illam nullis limitibus circumscribi, contendunt.

Batavi, qui non iis necessitudinis vinculis Gallis junguntur, quibus Imperator cum Rege Catholico, non eas leges admittere contra suam cum iisdem Gallis confederationem, nec ab illis eas extorquere Hispani conati sunt, quas Gallia cupit ab ipsis Imperii Statibus Imperatori, contra Hispanum, hoc est, ab ipsis Membris, Capiti, contra Oculos imponi.

Admittendo solum Gallorum propositiones circa hanc suppetiarum prohibitionem, separationem Circuli Burgundici & exclusionem Ducis Lotharingæ; peccatur enormiter, in forma & in materia, & proceditur contra omnem rationem & normam, tam Justitiæ, quam Status, seu Politicam.

Quoad

1648.
Junius.

Quoad formam nemo poterit negare, illâ quam maximè offendi Dominos Mediatores, & consequenter eorum Principales, iis absentibus, inauditis, & invitis, cumque suæ functionis probroso contemptu, ea attrectando in quâ Mediationis Officium necessario influere & incurrere debet. Deinde evertitur Præliminaris Conventio, qua Monasteriensis Civitas Gallicis Tractatibus præfigitur; & cum hujusmodi Conventio sit regula & fundamentum eorum omnium, quæ sequentur: evidens est & extra omnem controversiam, Osnabrugenses in hac materia Tractatus, re ipsa & ex natura reciproca stipulationis nullos fore: & quocumque tempore ob hujusmodi apertam nullitatem, ab iis desistendi unicuique ansam præbituros, præcipue, refragante Imperatore, conquerente Rege Hispaniæ, & viginti octo tam Principibus, quam Statibus Imperii in legitimo loco, legitime congregatis, continuo reclamantibus & contra protestantibus; unde novarum dissensionum seges, quod unicuique Gallorum intentum, & in quod omnibus modis & viis, tam publicis quam secretis, ab eo tempore, à quo istis Tractatibus primum interfuerunt, conspirarunt. Denique nec ipsi, qui hujusmodi propositiones faciunt, nec qui eas admittunt, ullam ex iismet procuratoriis mandatis, quæ exhibuerunt, potestatem habent, eas agitando, & multo minus concludendi Osnabrugis; hujusmodi enim mandata procuratoria loquuntur tantum circa Tractatus Germano-Gallicos, seu Hispano-Gallicos de Congressu Monasteriensi; & præterea quando quoad Gallos, Deputatosque Electorum, Principum & Statuum Imperii, qui degunt modo Osnabrugis, hæc difficultas cessaret; certum est tamen aliundè, cum ibi præcipue agatur de interesse Imperatoris, non tantum qua Imperator, sed qua Princeps Austriacus, Regis Hispaniæ, non tantum qua Rex, & tot Regnorum Monarcha, sed qua Imperii Princeps, & Archi-Ducis Caroli Tirolensis, adeo ut quidquid Galliarum sit concedendum, vel recusandum, ad eos ferè solos immediate pertineat; hinc inquam certum est, eorum Legatos incundis tractatibus adesse debere, & in hunc finem novis procurationibus muniendos; quandoquidem illæ, quas præ manibus habent, & quæ secundum commune ac uniforme omnium interessatorum Votum & Statutum, conceptæ sunt, ab Osnabrugensi Conventu penitus discrepant; Quid igitur hoc monstri est, obluetante ipsius rei natura, & tot repagulis obstantibus, velle sus deque cuncta miscere, & omni turbato ordine, inani demulcendæ Galliarum desiderio, ad confusionem postea inextricabilem, præcipitanter contendere? Nuper, & quoridie, Galli Tractatum Præliminarem, contra justam Ducis Lotharingiæ prætensionem, aliquem ad istos Tractatus Plenipotentiarium suo nomine mittendi, opposuerunt, eo quod non expresse nec specificè in præliminari Conventione esset denominatus, nec unquam ab hac tergiversatione potuerunt dimoveri, licet sub clausula generali Confederatorum Imperatoris & Imperii, nec non Regis Hispaniæ comprehenderetur; nunc verò contra expressam assertionem & dispositionem ejusdem præliminaris Conventionis, sedem Tractatum mutare non erubescunt, voluntque ut tam iniquis intentis per fas & nefas Imperii Status suffragentur, Imperatori resistent, plerisque sociorum suorum repugnent, & contra propria facta, acta, & conventa veniant. Ex quo solo Gallorum intento, quando alia desissent argumenta, satis constaret, non ea qua par est sinceritate, in Pace promovenda eos procedere, quippe satis norunt, omnia plana, tuta & sic Monasterii composita esse, ut si velint, recto tramite, & via facili ac aperta, iisdem vestigiis, quæ jam trita sunt, insistentes, ad optatam metam cum omnium non consensu modo & applausu, sed interpositione, & juvamine, possint pervenire; a qua quidem publica, & jam strata via cum deflectunt, nihil aliud cogitant, præter spargenda discordiarum semina, publicæ quieti, & Germaniæ tranquillitati omnino repugnantia.

1648.
Junius.

Quoad

1648.
Junius,

Quoad materiam, ea est, quæ vix possit sine summo ejusdem Imperii periculo delibari; Quomodo enim absque gravi offensione ab Imperatore & Rege Catholico audiri potest, quod eorum concordia, quam Deus, natura, omniaque Jura æternam inconcussamque stabilivè, modo in discrimen seu controversiam ab ipsismet Statibus Imperii vocetur, qui ejus ope & beneficio, sese contra exteros hætenus tuiti sunt, & imposterum tueri poterunt; si verò ulterius hujusmodi quæstio promoveatur, minime dubitandum est, relictis Tractatibus Hispano-Gallicis (ut jam ob hanc eandem causam fit ex parte Gallorum) Ministros utique Hispanos ex his Conventibus penitus emigraturos, & ideo inter duas Coronas omnis tractationis spem abscissum iri, summo totius Christianitatis dispendio, cujus quæ subinde sequentur clades, calamitates & incendia, Osnabrugensi Conventui unice debebuntur, & imputabuntur; ut publicâ protestatione, factique ad posteritatem transmittenda expressione universo mundo declarabitur. Quæ omnia contingent eo tempore, quo prædictarum Coronarum Tractatus, magnâ ex parte jam ad optatum finem inclinarent, quadraginta octo Articulis Mediatorum ope & ministerio ex toto compositis, aliis verò sic discussis & explanatis, ut vix credendum sit, Galliam, si sibi constet, à tam proficuis conditionibus discessuram. Quidquid contra unus aut alter procellarum magis, quam malacæ cupidi moliantur, quorum cruentis desideriis inservire Conventum Osnabrugensem, contra ipsiusmet Galliæ & Consilia & Vota, omni aetate, & itupendum, & pœnitendum, & detestandum erit.

1648.
Junius,

Quam propensum hætenus ad Pacem animum Rex Catholicus habuerit, extra omne omnium ætatum exemplum, concessionem in id ab eo factam, & publicis Actis testificatam, docent; Ipsique nuper Legati Batavi idem opere, & postea verbo, ad interrogationem Electoralis Collegii, Osnabrugæ declararunt. Unde mirandum prorsus nonnullos eorum, quibus hujusmodi declaratio concedita est, & quorum fuit officii ac obligationis, eam naviter ut acceperant, suis Collegis & cæteris Imperii Ordinibus referre, in re tam aperta & ipsa meridiana luce clariori, adhuc hodiè voluntariè cæcutire; vel cæcutionem, non sine magno linguæ & cordis dissidio, fingere & effutire.

Si verò eorum ephemeridem retexamus, quæ ab insititis Pacis Congressibus, contra Pacem, ipsius tamen Pacis obtentu, & Galliæ nomine acta fuere, Deus bone! quot technarum, machinationumque portenta, per conculcatam Imperatoris dignitatem, per Imperii Leges violatas, per ejusdem harmoniam dissolutam, per Mediatorum contemptam auctoritatem, per Legationis jura temerata, per lamentabilem denique totius Christianitatis ludificationem apparebunt? quorum deformis spectaculum nec ipsiusmet Galliæ pars sincerior & potior conniventibus oculis sit inspectura.

Nunc verò cum in eosdem, imò periculosiores scopulos ejusdem Imperii cymbam, exteri isti & hostiles Navarchæ totis viribus impellant; an invenientur, proh dolor & pudor? qui destinato patriæ naufragio remos, manum, & operam præbeant, adversariorumque libidini quaqua versum & veluti ex conscripto pareant? Antiquorum Amicorum obliti, quos illis non mutua modo fœdera, non reciproca tantum fides, sed communis salus, contiguæ ditiones, ortus similis, eademque in omnibus, seu morborum, seu remedium subeunda alea conjunxerant.

Verum etsi retardatæ Pacis omnis culpa non tam apertè ac manifestè, in Gallos, vel quod melius dixerimus, in eos, qui Galliæ nomine utuntur, recideret, num saltem consultandi Mediatore, qui hoc Pacis negotium direxere? num actus hucusque promotæ tractationis examinandi, ut constet penes

1648.
Junius.

penes quem tanti beneficii sit mora? quo in statu, ordo, & series rerum tam actarum quam gerendarum verferur? ut postea communicatis studiis, qualiter inter Confederatos fieri solet, utrinque adeo necessaria in iisdem Tractatibus paritas, ac conjunctio, promoveatur; Tantum abest, ut inconsulto Hispano, prætermisso voto Burgundico, & veluti prohibito à Comitiorum Imperialium aditu Lotharingæ Duce, ea sint decidenda, quæ ad eos immediatè pertinent, cum nunquam talem procedendi modum in vilissimarum personarum causis, privata cujuscumque loci tribunalia admiserint.

1648.
Junius.

Quodque mirabilius in hac rerum everfione occurrit, illud certè est, quod prædictus Conventus Osnabrugensis præterdat, sine consensu Regis Catholici, de suo tamen in utramque Alsaciam jure renunciando, stipulari, & de cedendo Inferiori Palatinatu, quem legitime & realiter à multis annis possidet; cum è contra hac obliqua via potius sit coacturus prædictum Hispaniarum Regem ad utrumque mordicus tuendum, imò & in usum omnino à votis & concessionibus inanibus prædicti Conventus Osnabrugensis alienum, convertendum; novosque sibi amicos & confederatos comparandos, & iisdem mediis ad id utendum, quæ eo spreto & indignè habito, in Gallorum commodum, suorumque adherentium, sic à Conventu Osnabrugensi concessa forent. Quomodo enim dubitari potest, tantà injurià, & tali fœdifragio (quod Deus avertat) Regem Hispaniæ læsum & laceffitum, rebus utcumque suis prospecturum? unde quæ sequutura sint damna effari & ominari, animus reformidat.

Cæteris itaque prætermiſſis unum tamen tot inter dissimulari nequit, neminem videlicet toto orbe amplius reperrum iri, qui tam fœdo exemplo perculſus, Imperii partibus accedere velit. *Quid enim, ut ait Cassiodorus, expectent extraneorum jura, si sic meretur affinitas?* Nullis prorsus historiarum monumentis reperietur, Hispanos quidpiam umquam contra Imperium attentasse; quin ei sæpissime laboranti, auxiliatrices & salutare manus præbuisse, qualiter luculentis declarationibus ejusdem Imperii Status & Ordines multoties contestati sunt; postremisque adhuc hinc annis Dütlingensem Victoriã, Hispanicis Lotharingicisque auxiliis partam fuisse nemo inficiabitur: Advolavit è Belgio ipsemet Lotharingæ Dux, Gallos Imperio propulſaturus, & hac in occasione, ut & in aliis multis præcedentibus, qualiter etiam Hispaniæ Rex, Germaniæ saluti propria commoda longè posthabuit: At ubi utriusque Principis ope fusi fugatique hostes; eorundem hostium odio justam hujusmodi Imperii Vindicam & Assertorum causam, fama est, ab ipsismet Imperialibus Comitibus, tanquam expiaticem victimam immolari debere; En egregium gratitudinis specimen, & mirabilem acceptorum beneficiorum compensationem!

Sed mittamus, quæ ad gloriam, decus & existimationem pertinent, ne præoccupatis nimio forsan timore animis, leviora pro iniquitate temporum habeantur: & nullo famæ intuitu, præteritisque omnibus oblitteratis, sola præsentium & futurorum ratione habitâ, ad nudam & puram Imperii quietem ac securitatem descendamus. Hac etiam ex parte certum est, Gallorum præstigiis non Pacem quæri, sed Bella ex Bellis feri, & discordias ex discordiis disseminari; sciunt videlicet impossibile penitus esse, ut Imperator Hispano desit, & vicissim Hispanus Imperatori, petunt tamen hanc Imperatori facultatem adimi, cujus libertas, cuivis alteri Germaniæ Principi, in quemvis etiam exterum Principem relinquitur: Hoc si fiat, & qui supra leges est Imperator, hanc veluti, omni Divino & Humano juri adversam respuat, vel ad eam capeſſendam sequendamque, illius auctores cogendum censebunt, vel contractum inobservatum relinquent; Hinc, & inde ampla novis hostilitatibus, tam internis quam externis materia; &

Sechster Theil.

3

in

1648.
Junius.

in diversas partes dehiscens Imperii luctuosa clades; Iterum Galli Germaniæ penetralia invadent, utramque dissidentium partem, si possint, oppresuri; jungent se Imperatori non Hispanus modo & Lotharingus, sed quicumque in Imperio iisdem tractibus pessimè mulctantur, & de illorum iniustitiâ & nullitate palam ac multoties sunt protestati. Repererunt ab Hispano Franquendalia, denegabit, & aperto Marte tuebitur; Quæcumque Gallis in Alfatias concessa erant, revertionis jure & secundum familiæ pacta vindicabit; num igitur melius tutiusque pro eadem Imperii quiete & securitate foret, à Statibus Imperii (qui illam unice jactitant) Imperatoris Domini sui, Regis Hispaniæ antiqui Confœderati & Amici, Ducis Lotharingiæ perpetui belli & fortunæ socii, aliorumque Imperii Principum, qui Monasterii suffragia reservârunt, concursum & consensum expectare ac obtinere? ut quæ eadem sunt inter se, & quæ Bello indivisa remanserunt, Pace nusquam dividantur; a quâ divisione & diversitate rerum & commodorum: diversitatem utique animorum resultaturam, sibi Galli, & meritò quidem persuadent: Quod Hispani jam dudum subodorati, in omnibus suis propositionibus, responsis, replicis, & quibuscumque pacificæ tractationis actibus, expressum articulum inseruerunt, de non concludendâ inter duas Coronas Pace, nisi eodem prorsus tempore, cum Imperatore & Imperio utique concluderetur: illud Virgilianum continuo ingeminantes.

-- -- *Unum & commune periculum:*

Una salus ambobus erit.

Attamen nonnulli fuere, qui hoc diversitatis exemplum jam cæteris in Imperio præberent, quod minimè diffitemur; sed eo ipso magis abstinentium asserimus, quod non aliis modo, verum sibi inter ipsos noxium evaserit; Quid enim peperit Electori Coloniae Armistitium cum Exteris, præter faciliorem in suos Status, & Principis Osthabrugensis, Consanguinei sui, grassandi & invehendi modum? quid Bavaro, nisi Urbium, quas pignoris loco cesserat, deperditionem, ditiorumque suarum devastationem? si Neoburgicum super eadem quæstione interrogemus, respondebit procul dubio, ab imita neutralitate omnium partium prædam fuisse; si Trevirenses, non negabit à suis Protectoribus sibi Philipsburgum detineri, factasque promissiones de contributionum exemptione pro solutione militiæ Suevicæ irritas abiisse; si Herbipolensem, ad extrema actum & omni ex parte consumptum sese declarabit; si Basiliensem Episcopum, hoc etiam neutralitatis nomine Bruntrutum à Gallis occupari; si Wirtembergicum, Montembellicardum usurpari; si Saxonem, Brandenburgicum, Megapolitanum, & Brunsvicenses Princeps, paucas reliquias bonorum, quæ ex publicis calamitatibus ipsis supersunt, ostendere poterunt; Imò si ad eos convertamur, quibus Galli peculiarem protectionem & singulare patrociniûm subministrasse gloriantur, Sabaudum & Mantuanum, non nisi querulas voces referemus, quibus, hoc patrociniû titulo, sub immane jugum missos fuisse, melioribusque suis fortaliis spoliatos cognoscemus; ut tandem tot tantisque documentis, quæ in omnium oculis extant, discamus, An ab Imperatore, à Rege Hispaniarum, totaque Domo Austriaca, cujus beneficentia, fides, amicitia, & necessitudo, nec non in conservationem totius Germaniæ effusa potestas, crebris experientiis nobis innotuit, sit nunc discedendum? ut non minus iniquis quam vastis hostium cupiditatibus tam imprudenter, quam abjectè famulemur.

Si ejusdem Augustissimæ Domus Principes, vel Reipublicæ Christianæ tranquillitatem turbassent, vel eandem à quibuscumque autoribus turbatam restitui prohiberent; esset equidem in hac, quæ modo controversatur, ab

1648.
Junius.

1648.
Junius

ab illis defectione, aliquis excusationi locus; sed cum à morte Henrici IV. Gallia Regis, Regnum illud variis in se, & per diversa tempora factionibus scissum, nullum sibi umquam adversum, nec Cæsareum nec Hispanum militem, senserit. Cum ejusdem publicæ tranquillitatis amore, iidem Principes tot commodis suis se abdicarint, ut patuit ex Pace Veruiniensi, & Danica, & Pragensi, & prius adhuc Ratisbonensi, qua Gallus sub eadem Pacis larva, quam hodie obtendit, toti Imperio nefariè imposuit & insultavit; Cum ab ipso præliminarium Hamburgensium exordio in hunc usque diem, tot indignis & insolitis petitionibus Austriaci cesserint, ut hanc eandem & diu desideratam quietem, propria depressione integrarumque Provinciarum cessione assequerentur, adeo ut quæ in hunc finem optimi Principes hæcenus perpessi sunt, vix apud posteros fidem sint inventura; quis amplius ipsis in hoc eodem Pacis itinere, quod magnis passibus calcant, deserendis, prætextus suppetet? nisi toti Germaniæ funestus & exitiosus, indignus majoribus nostris, nobismet ipsis, & posteris, omnique ætate execrandus?

1648.
Junius.

Verum forsan inquit, qui sinuosam hanc viam, & variis anfractibus in præcipitium proclivem ingressi sunt, Cæsar, post pactas secundum Gallorum vota Pacis conditiones, de approbatione ab Imperii Statibus instanter requisitus, & fortiter sollicitatus tandem consentiet, illisque subscribet: ô fatuitatem, & suppositionem à communi hominum sensu alienam! Quasi verò tantæ maculæ, & tam inhonestæ labis Cæsareus animus capax esset, ignoraretque Imperator, excepto uno Hispaniæ Rege, multos quidem, quos fugiat, habere, quem verò sequatur, neminem; Cum inter reliquos nonnulli, si velint, non possint, ipsi suppetias ferre; alii, si possint, nolint; minusque volent, aut poterunt, ubi ab Hispano separabitur; Illum enim tunc omnes, tanquam arborem suis radicibus evulsam, nullisque turbinibus obliecturam contemplantur: sacrilegam hujusmodi de Cæsaris mente & animo præsumptionem, meritò quis dixerit ac damnet; qua nempe sacra ejus Majestas in fluxæ fidei, & depravatæ indolis, imò & obscuri ingenii suspicionem adduci videtur, cum longe aliud magni optimique Principis magnanimitas & prudentia suggerat, quam ut se totum unico hostium suorum, (quorum toties perfidiam expertus est) arbitrio permittat; nudusque quorumdam etiam Imperii Regulorum ictibus pateat, qui solito præsidio destitutum, quasi jam ruentem sint forsan impulsuri. Absit, ut tantæ sagacitatis Monarcha eam propria manu sibi subducatur molem, in quam ejus, quod habitat, domicili inclinata compages recumbit: haud immemor, Ferdinandum Secundum gloriosæ memoriæ Parentem, proximè non Cæsareo tantum folio, sed omnibus hæreditariis terris ejiciendum, & inter summas angustias constitutum, his columinibus fultum fuisse, quibus subtrahendis & amputandis, qui Cæsarem Pacis respectu assentiri volunt, idem consulunt, ac si cuiquam ægroto, corporis & animæ separationem, recuperandæ valetudinis causa suaderent. Videt Cæsar eosdem hostes arctiora quotidie inter se Fœdera ferre, & ipse ab iis, quibuscum sanguinis sui Principibus conjunctus, iisdem hostibus huc usque restitit; esset destitutus? suppetias Regi Catholico Affini, Consanguineo, & Sororio in perduelles denegaturus, quas Galli perduellibus, quibuscum nullo consanguinitatis vinculo junguntur, in Regem suum sunt concessuri? Rem inauditam, & non modò Imperialium Comitiorum cetero, sed muliercularum etiam conventiculis & confabulationibus eliminandam.

Prætermittà verò hac consideratione indissolubilis inter Imperatorem & Regem Hispaniæ Societatis, quamvis tot nexibus, intimis Imperii generalibus implicatæ; si Imperium nude, & ab Imperatoris causa ac consortio, si fieri possit, abstractum, contemplemur; etiam ipsi, sic seposito, perniciosissimam ab Hispano sejunctionem futuram apertius est, quam ut multa pro-

Sechster Theil.

3 2

batio.

1648. batione indigeat. Possessiones enim & Dominia, quibus tam Imperium, 1648.
 Junius. quam Monarchia Hispanica constant, in mutuuum subsidium à natura sunt
 constituta, adeo ut Belgio & Mediolano quasi duobus propugnaculis Ger-
 mania tegatur, quorum ope & transitu, ei, qua terra qua mari, ad majores
 ab omnibus aliis Hispanicis Ditionibus suppetias procurandas aditus refe-
 rantur; nec modo pro Imperii propugnaculis, sed membris etiam, una
 cum Burgundiæ Comitatu habenda sunt, iisque admodum necessariis,
 in extremitatibus vasti corporis positis, quibus abscessis, vix erit, qui
 prostratum erigat, & ori cibum admoveat. Iidem præcipui Imperio &
 Hispano hostes ab omni tempore fuere, Turca & Gallus, & uterque tam
 Imperii quam Hispanicæ Ditionis confiniis imminens, quos in Imperium
 grassantes, nisi prohibeat, vel divertat Hispanus, & vicissim in Hispanum
 levientes, nisi aliunde Imperium distrahat, & sic inter se onus partiantur,
 mettendum est, ne dum conjunctorum alterutri, solique, tota ponderis
 moles incumbat, plus aquo gravetur: unoque semel attrito, tota eadem
 moles in alterum recidat, in cuius levamentum ludicram fictæ reconcilia-
 tionis ostentationem, & vanam subdolæ conventionis fidem reclamare, fru-
 straneum foret.

Nisi in Catalaunia, Italia & Belgio, quadraginta circiter Gallorum mil-
 lia decinerentur, quis dubitat, nunc eadem Germaniam nostram oppressu-
 ra? eaque oppressa rursus Catalauniam, Italiam, & Belgium repetitura?
 Vice versa, nisi alia Gallorum vires in Imperio occuparentur, quis non cre-
 dat illico eas contra Hispanum profecturas, & ubi suis intentis potientur,
 iterum Germaniam invasuras?

Sed Germani Pace inita non erunt amplius Gallorum hostes, nec Galli
 Germanorum, nullamque ipsis alienationis & inimicitiaë causam præbebi-
 mus. Quid tum? an aliquam præbueramus, quando proximis annis nos
 hostiliter aggressi sunt; an aliquam præbuerant Hispani, quando Vertu-
 niensem Tractatum violârunt, & novem alios præcedentes? an aliquam
 etiam occasionem porrexerant pupilli Principes, Archi-Ducis Leopoldi Fi-
 lii, ut eos hæreditariis terris extirperent? An Lotharingiaë Dux, ut antiquo
 patrimonio ipsum spoliarent? An Majores nostri Henrico II. ut tres infi-
 gnes Episcopatus Imperio adimeret? An Ferdinandus II. quidpiam contra
 Ratisbonensem Tractatum peccaverat, ut non modò non observaretur à
 Gallis, sed sub ejus larva infensissimum bellum latitaret? Estne aliquis, qui
 negare audeat in Comitibus Francofurtensibus publicè & solemniter Mar-
 chionem Fequerium, Regis sui nomine promississe, nihil prorsus Coronam
 Gallicam Imperio detracturam? Atqui hujusmodi promissorum contra-
 rium omnino experimur, ut & eorum, quæ modò ejusdem Galliaë nomi-
 ne nobis promittuntur, sumus experturi: omnium posteastrarum ob-
 jectio, querelarum & argumentorum, paucis his verbis solutionem
 accepturi: *Alia sunt Tempora*: quod quidem certissimum est, & alia sem-
 per futura, adeo ut cum eorum mutatione, perpetuam utique pactorum,
 & promissorum mutationem expectare debeamus: *si in solo Gallorum verbo*
jaçtemus rete; nec securitati nostræ aliundè provideamus, talique modo, ut
 dum Galli Tractatus deferent, nos à nostris Amicis, diuque probatis auxiliis
 non deseramur.

Si bona fide & animo ad veram, diuturnamque Pacem composito, tra-
 ctaturi sint Galli, eam non nobiscum tantum, sed cum Hispanis simul, & semel
 inire volent: satis enim nôrunt, unam absque alia diu non posse persevera-
 re: nôrunt utique illam Hispanos verè & constanter hætenus desiderasse: nô-
 runt denique, tantum abesse, ut res Hispanicæ, Imperii Pacificationi adver-
 sen-

1648.
Junius.

sentur, quin ipsi promovendæ multum sint collaturæ; & vicissim res Germanicæ, Hispanicæ cum Gallis compositioni; imò tantam inter utrasque connexionem & subordinationem reperiri, ut ita sine illis tunc quiescere & subsistere nequeant. Quomodo enim totum sine partibus, vel partes sine toto, corpus sine membris, & membra sine corpore componentur? qualiter Belgium, Burgundia & Mediolanum respectu Imperii habenda sunt?

1648.
Junius.

Eodem itaque tempore, quo Galli Imperio persuasum volunt, Societatem & Confœderationem Hispanicam tractatibus Pacis Germano-Gallicæ obstare: credendum est, non minus eos Imperii, quam Hispaniæ excidium meditari, & in id trito Politicorum axiomate uti, *Divide, & Impera*; variis illud figuris & strophis adumbrantes, quibus etiam apud Hispanos usi sunt, ut ab arctis Imperii amplexibus nos divellerent, etiam ipso Tractatus initio, fervente bello Danico; objicientes, quod quandoquidem Legati Cæsarei, Regis Daniæ declarationem expectare vellent, antequam initium facerent Tractatibus; Hispani interim una cum Corona Galliæ manum operi adhiberent, nec hujusmodi exemplo feriantur: verum à limine rejecti sunt. *Statim patuere doli*, omnisque spes & ansa separationis undequaque præscissa.

At objiciet aliquis, non hujusmodi consideratio apud Batavos evaluit, qui absque Gallis Pacem cum Hispanis concluderunt, & allatum paulò superius contra Gallos argumentum, quod sincerè Pacem per Imperii & Hispani separationem non quærerent, in Hispanos meritò posset retorqueri; quod eandem Pacem per Batavorum utique à Gallis separationem sint assequuti; Cujus objectionis refutatio in promptu est, cum per biennium integrum, una cum Gallis & Batavis simul Hispani tractarint, imò & Batavis Hispano-Gallicæ tractationis primum Interpositores tum subinde Arbitros constituerint, & quod amplius est, illorum declarationibus steterint; jamque absoluto suo cum Batavis Tractatu, octava Januarii Anni 1647. utrimque subscripto, rursus per annum integrum Gallorum conjunctionem expectarint, & modis omnibus provocarint; Tum etiam Anno subsequenti 30. ejusdem mensis Januarii 1648. iterum Pacis Instrumento cum Batavis composito, sese scripto adstrixerint, iisdem conditionibus, intra duorum mensium spatium cum Gallis transigendi, imò & Pace ratihabita solemnè jurejurando vallatâ, & per publicos præcones proclamata, prioribus concessionibus Hispani institerunt; seque paratos ostenderunt ad Tractatus eodem in statu resumendos, quo dicta 30. Januarii erant constituti; Quod cum Galli iterum recusarint, ultrò non Batavis modò, sed toti mundo constitit, nullis rationibus, nec mediis ad Pacis cum Hispania conclusionem illos adduci posse; Cujus veritatis, licet jam nemini obscuræ, si Status Imperii experimentum facere velint, qualiter Batavi fecere, facillime poterunt: vel saltem absque ulteriori mora in mentem revocare ea, quæ in omnium oculis posita sunt; nempe Hispaniæ Regem, nihil prorsus eorum denegasse, quæ non solum Mediatore, non solum Interpositores, sed & Ministri Cæsarei, tam Imperatoris, quam Ordinum Imperii nomine, ab eo, contemplatione Pacis efflagitarunt.

Quidquid Hispanicarum erat partium in præliminaribus, Rex Catholicus Cæsareæ dispositioni permittit; & quæcumque per Comitem Averspergium suo nomine Hamburgi, licet absque prævia monitione, stipulata fuerant, illico rata habuit; Gallorum Confœderatis, & adherentibus titulos nondum usurpatos, in liberi comitatûs litteris, seu salvi-conductibus ad Cæsaris libitum indulgit; sedem Congressuum Colonia designatam, licet ibi à multis annis jam suos Legatos haberet, Monasterium transferri, pro Gallorum votis, & ad Imperii instantiam non recusavit; Palatinatus restitu-

1648.
Junius.

tioni, Collegio Electorali apprecante, pro Pace obtinenda, absque compensationis conditione consensit; quem candidum Pacis amorem Anglicus Legatus publicis scriptis mirificè deprædicavit; Transferendo in Gallos Alfatiarum juri, acquievit; in prædictæ Pacis Tractatibus, nihil inconsultis Cæfareis Legatis peregit; jura Imperii ubicumque asseruit, & ejus tranquillitati procurandæ, nil denegavit.

1648.
Junius.

Quæ igitur separationis causa? quæ necessitas? jam tot currículi partibus utrimque tam æquis vestigiis, & tali animorum consensione adimpletis; reliquis verò, quæ supersunt, eadem voluntatis propensione, & pascuum paritate, si libuerit, adimplendis? & in quem finem hæc petitio Gallorum toties amandata, solemnibusque Imperialium Comitiorum Decretis condemnata, nunc respicere potest; nisi in eum, qui ultimam Germanicæ libertati periodum imponat; cujus ex ipsismet Imperii Constitutionibus, hæc præ cæteris prærogativa ejus Principibus conceditur, ut Amicis, Confederatisque suis, ni sint Imperii hostes, suppetias ferre possint.

Antequam Galli contra Hispanum bellum movissent, nos jam hostibus armis, magnisque viribus impetebant. Jam Dux Effiatus, Dux Roanensis, Cardinalis Valetanus, Marscallus Forceus, variorum exercituum supremi Præfecti, Imperium ab aliquot annis oppugnabant: cum Marscallus Castilioneus, & Breseus, anno videlicet 1635. Belgium aggressi sunt; Priusque adhuc Gallici Oratores cum Sueciæ Rege de invadendo Imperio Fœdus percusserant: Immiscuit se Rex Hispaniæ nostræ defensionem, antequam nos suæ immisceremus. Ipse nostra causa in se bellum traxit, & suscepit; non nos sua: quod videlicet Trevirensis Civitatem & Electoratum in potestate Galliarum permanere, non pateretur: ut ab expressa Clarigatoris Gallici declaratione innotuit, & publico programme, quo belli causæ à Gallo in Hispanum denunciantur: unde tanto iniquius esset, nos ab Hispano discedere, qui ad nos periclitantes, & opem laturus accessit: & eum, qui nostræ salutis intuitu in se bellum transtulit, omnibus auxiliis destitutum relinquere, ab omni Christiana gratitudine abhorret.

Quod si ipse, in cujus ruinam (a qua nostra, nisi exiguo temporis intervallo distare potest) tam probrosa consilia, quosdam non pudet agitare, nos præveniat, citiusque, nostris injuriis provocatus, cum Gallis, nobis exclusis, transigat: Quis pœnitentiæ locus, & quæ ulterior refugii ara supererit? dum in afflictæ nostræ Germaniæ sinum, omnes belli apparatus, quos per diversas partes divisos Galli habent, effundi videbimus? Nihil non agimus profecto, si diutius hujus separationis terminis hæreamus: ut imponamus necessitatem amicis nostris, ad extremas hujusmodi resolutiones deveniendi.

Sed supponamus, nunquam Regem Hispaniæ eo usque se præcipitem acturum, seu ob immanitatem conditionum, quibus Gallia ab eo Pacem emptam cupit, seu ob facilem in condonandis erroribus nostris animum, seu ob nostri excidii contagia, in ditiones suas, ut & sui in nostras ex ipsa rei natura & necessitate grassatura. Demus, passurum absque strepitu & commotione, quæcumque ipsi vulnera simus inflicturi, & tandem Gallos prohibito, secundum tenorem contractus, omni auxilio, quo laboranti Belgio, Burgundia, & Ducatui Mediolanensi subvenire possemus, votis suis una cum iisdem Provinciis posituros: Quid tunc non timendum Electori Coloniensi, imò & Moguntino, quorum ditiones ab Hispano per vicinum Belgium alias restitutæ fuerunt? Quid non ipsi Trevirensi metuendum, omnibusque Principibus & Statibus, qui Rheno adjacent, quorum spoliatione antiqua Regni Austrasiæ forma (cui palam inhiant Galli) instaurari possit? Quid ex parte Me-

1648.
Junius.

Mediolani ditioni Tirolensi, & subinde toti Circulo Suevico tum conterminis Italiae Principibus non verendum? Quid ex Comitatu Burgundiae Helvetiis, & ex toto Gallicae potestatis incremento, ipsiusmet Confederatis non suspicandum? qui eam norunt inquietam, confortis impatientem, & gentem illam opportunitatis callidam, ulteriorisque semper dominationis appetentem.

Anno proxime praeterito, a Suecis aliquatenus Galli defecerunt, dum iis in Germania nostra relictis, suum Exercitum in Belgium eduxerunt: & paucis adhuc abhinc mensibus idem omnino meditabantur; imò & aliqua parte sub Erlachio Duce praestiterunt, & ex integro praestissent, nisi sublecuturo Turrenii discessui sese Sueci fortiter opposuissent. Unde constat quam impotenti potiundi Belgii desiderio ferantur: quam parum pactorum legibus, etiam cum ipsis belli Sociis stare & satisfacere latagant, ubi de eorum peculiari utilitate agitur: hinc etiam apparet, quantum in se Gallici roboris, ad Imperii exonerationem, Belgicum hoc bellum trahat, & Rex Hispaniae in proprias ditiones suscipiat: quapropter cum indivisa nobiscum contra Gallos belli aerae majorem partem subeat, tanto minus reliquum oneris in ejus injuriam ac damnum detrectare debemus.

Vix quinque, seu Gallorum, seu Gallicis stipendiis merentium millia, in Imperio superflunt, quorum metu in tam turpes cogitationes adducimur, ut gloriam omnem, decora omnia, imò & fortiora quaecumque salutis nostrae instrumenta retrò projicere velle videamur.

Domestica dissidia jam inter nos composita sunt; ex qua compositione certum est, Pacem cum exteris tolerabiliorem, & minus saltem antiquis nostris Amicis ac Confederatis infestam nos habituros, si Viri simus, si Germani, si fidei nostrae, & innatae obligationis memores, si quidpiam priscae virtutis ac famae retinentes.

Merito majores nostri praecaverunt, ne Imperii Principes & Status, Federibus Gallicis innodarentur: & ne Gallia sese rebus ac negotiis nostris immisceret; ut Articulo 7. & 9. Tractatus Passaviensis expresse declaratur; quorum tenori & observationi, quantum Gallica propositio detrahat, circa exclusionem Circuli Burgundici, praeteritionem Lotharingiae Ducis, & Hispanicae amicitiae ac confederationis abdicationem, omnibus in comperto est; sed frustra contrarias hujusmodi attentatis Imperii Constitutiones (ut sunt & illae, quae ferendarum Confederatarum suppetiarum modum & formam praescribunt) in memoriam revocem; si nos, nec quae nobis instant ab earum abrogatione pericula non excitent: vix dum ex naufragio anni 1630. infida, Gallicaque transactione evasimus: cum in eandem aquarum voraginem, & earumdem manuum impulsu insilire non dubitamus: fera poenitentia, melius fidem & foedera servare discituri, si iisdem quibus ante erroribus nos circumduci patiamur.

Hanc propositionem de belli Sociis sub malleo & cuspidem relinquentis, cum multa nobis suspectam reddere debeant; id sane potissimum inter caetera, quod necdum aliis finitis difficultatibus, quae in Tractatu Germano-Gallico superflunt, in medium proferatur, ejusque agitatio & definitio caeteris intempestive praefertatur; cum tamen in hunc usque diem compertum sit, ex concessionibus Coronae Gallicae ab Imperio factis, & declarationibus in ejus favorem evulgatis, per quas Paci assequendae ipsi Galli metam ultimam assignabant, nihil Imperium, praeter nimiae submissionis ignominiam, reculisse; & in hostium animis, nisi quidlibet ulterius petendi & extorquendi audaciam excitasse. Tantum enim abest, ut his deferentiis de solita in nos hostilitate quidquam remiserint, & sese circa reliquas Pacis condiciones

mitio-

1648. **Junius.** mitiores præbuerint, quin inde contumaciores facti, minutim, & quasi per 1648. **Junius.**
 fibras Imperii corpus visi sint velle discernere.

Promittebant concessio Brisaco nihil amplius hostilitatis superfuturum, & se Suecos quoquo modo ad æquam Pacificationem adacturos; Cum Brisacum obtinuissent, rediit Philipsburgica petitio; tum Philipsburgo impetrato, par bellandi animus superfuit, & Imperii Principes tam inter se, quam ab Imperatore dividendi: uno verbo, quidquid nobis suggererunt Galli in hac Pacis negotiatione, in nostram perniciem evidentissime cessit: nihil vero ab Hispanis insinuatum, nec pravissimum, cui non eventus distincte responderit: & ideo stupendum prorsus, si istorum candidis rationibus non moveamur, illorum vero captiosis suggestionibus nihil non tribuamus: cum Hispani vel solo nomine accepti, fidem dictis conciliare, Galli vero infensis, abrogare deberent.

Causam Ducis Lotharingæ Circulique Burgundici hic specialiter attingere, mei non est instituti, cum utraque egregios Advocatos & Oratores nacta sit, qui scriptis publicis, & separatim unius alteriusque jura contra Gallorum impetitiones asseruerunt, tam solide & eleganter, ut superfluum sit hujusmodi operibus quidquam superaddere.

Et cum nullo exordio nec præparatione hanc monitionem è vestibulo ornaverim, sic in fine, nullo etiam oratorio epiphonemate sum ornaturus; quippe hic rei natura per se violentius agit, quam ut aliquid ab arte mutuetur.

Summarischer Inhalt des Drey und Vierzigsten Buchs.

- §. I.** Die Schweden extradiren ihre *Notas ad Instrumentum Pacis Casareum*, den Kayserlichen Gesandten: Item: den Ständen den *Aufsatz in puncto Militiæ*. N. I. Formalia dieses *Aufsatzes*.
- II.** Reassumtion der *Conferenzen* zwischen den Kayserlichen und Schwedischen Gesandten.
- III.** *Reichs- Deliberation* am 21. Jul. über den *§. Tandem omnes &c.* *Salvius* gehelet, mit Einrückung eines Parenthesis, in der Kayserlichen *Aufsatz*. N. I. Formalia derselben.
- IV.** Der *Stände* Erinnerungen bey dem von *Salvio* eingerückten Parenthesis: *Deputati* bringen den *Aufsatz* an die Kayserlichen: Der Kayserlichen Erklärung darauf: Der *Stände* Resolution auf die verlangte *Satisfacung* der Kayserlichen und Bayerischen *Militæ*. N. I. Formalia der *Reichs- Ständischen* Resolution.
- V.** Der *Stände* *Deliberation* über der Kayserlichen *Gegen-Project* des *§. Tandem omnes &c.* Der Kayserlichen *Aufsatz* wird an *Salvium* überbracht. *Salvii* Erinnerungen dagegen: Der *§. Tandem omnes &c.* kommt zur Richtigkeit. N. I. Vergleichene Formul des *§. Tandem omnes &c.*
- §. VI.** Die Kayserlichen und Schweden gehen das ganze *Friedens- Instrument* durch: Der *Stände* Meinung über die in dem *Instrument* noch gefundene *Differenzen*.
- VII.** Die Kayserlichen und Schwedischen vergleichen sich über die mehresten *Differenzen*: Der Kayserlichen fernere Erklärung wegen *Satisfacung* der Kayserlichen *Militæ*. N. I. Der Kayserlichen *Nota* auf der Schwedischen *Aufsatz* in puncto *Executionis & Affecurationis*: N. II. Der Kayserlichen Antwort an die *Stände*, die *Satisfacung* der Kayserlichen *Militæ* betreffend.
- VIII.** *Fürsten- Raths Conclusum* in puncto *Executionis & Affecurationis*: *Reichs- Bedencken* de resolutione *Satisfactionis Militiæ Suedicæ*: *Salvii* Monita über dieses *Bedencken*. N. I. *Conclusum* des *Fürsten- Raths*, nebst inserirten Resolutionen der *Churfürstlichen*, und *Adj. N. I. Clausula*, der *Erz- und Stifter* Rückfall betreffend. *Adj. N. II.* Der